

88, 17), multa plane excluserim, velut quod illa supra corruptum istud *litteraq.* scripsit *uariaq.* ep. 66, 15, *regere* addidit supra *gerere* ib. 39, *indolentiam* mutavit in *indulgentiam* ib. 45, *aestus* in ^m*aestus* ib. 46, ep. 67, 7 *arca* mutavit ^c*arca*, ^{er}83, 3 extr. supra *progymnasitas* scripsit *f. uigiles*, ib. 26 *animi amaram dant* supra *ad minimam radios*, 85, 33 post *rectam* superscripsit *s(cilicet) aspicias*, 86, 1 supra *manibus* scripsit *helligodun*, 87, 35 *tumorem* mutavit in ^u*tumorem*, ib. 41 *an* voluit pro *hanc*, dein *non* expunxit et *an* super addidit, 88, 5 *terrenorum* (ante *bonorum*) ubi *t* ∇^1 , cetera in spatio vacuo manus rec. ut videtur, ib. 17 *eucnura* supra *casura*, ib. 19 *obliuione* (sed lineola transverberatum) supra *ueterno*. sed glossemata, quibus haec potissimum epistula scatet, enumerare longum est.

Veneto apte subiungas de codice **M**(etensi) quaestionem. is est codex bibliothecae publicae Metensis trecentesimus, olim monasterii S. Arnulphi, quem Studemundi vigilantia sibi indicatum per duos primos menses anni 1880 cum editione Fickerti contulit Paulus Wolters idque diligentissime. saeculo scriptus est XI ineunte. insunt RELATIO IERONIMI DE SENECA, EPISTOLAE SENECAE AD PAULUM APOSTOLUM ET PAULI AD SENECA, EPITAPHIUM SENECAE, SEQUENTUR DEHINC EPISTOLAE MORALES LUCII ANNEI SENECAE AD LUCILIUM. epistolae insunt LXXXVIII priores, neque in libros distributae neque numeratae nisi a manibus recentioribus. In fine codicis carmen quoddam legitur de commercio epistularum, quod inter Serenum et Paulum intercessisse ferebatur' sic ille in commentatione bonae frugis plena quam inter 'Exercitationis grammaticae specimina' Bonnae edidit 1881 p. 32. his pauca quae ad describendum librum pertinent addo ex ipsa Woltersii collatione schedulisque per Buechelerum mihi humaniter oblatis. conferatur etiam O. Rossbach l. c. p. 63 s. continet igitur codex ille membranaceus folia centum viginti quattuor versuum tricenorum. praeter duo folia priora ad tutandum librum praefixa quaterniones exhibet quattuor-